



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

16. Apum in furem furor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

*musca dicitur, propter immunditiam, qua exterminat suavitatem olei.* Hebræi odio & detestatione Accaronitarum, qui illis diu infesti fuerunt, principem dæmonum, Beelzebub, solebant vocare, eadem scilicet voce, qua illi summum suum deum nominauerunt. Nominauerunt autem sic, vel quia illum ad muscarum calamitatem auertendam inuocauerunt; vel quia multo victimarum sanguine illud Idolum aspersum, semper muscis plenum, oblidebatur. Tanti fiebat ab illis gentibus muscarum vexatio, vt ad eam auerruncandam proprium Numen destinandum iudicaret: rectius facturi, si verum Numen non offendissent, quod muscas scelerum vltices excitauit.

XVI.  
Fortunatus  
Presb. in vita  
S. Medardi.  
& Sur. tom. 3.

Sed in exemplis, quæ sacris, quæ profanis videamus, quid muscæ possint. Inter quas & apes computantur, & vespa, & crabrones, & denique minorum gentium examina. De apibus illud tradit Fortunatus presbyter. S. Medardi Ecclesia, inter raris opes, apum aluearia habebat, ea nocturnus fur rapacissimis manibus tollebat. Apes, etsi alioqui, in tenebris, quietæ, tamen vbi lauernionem senserunt, factæ agmine, nebulonem aggressæ infugam verterunt. Neque contentæ, eum à stationibus suis repulisse, fugientem aculeatis stimulis sauciantes pertinacissime sunt persecutæ, nec à puncturis antè destiterunt, quàm reus plagis vndique tumidus, & apibus, toto corpore, circumseptus, ad ipsum D. Medardum, nolens volens peruenisset. Itaque ad sancti pedes supplex prouolutus, crimen fatetur, veniam precatur, opem flagitat. Non sunt ad ignoscendum difficiles Diui. Quare & Medardus facile veniam dedit efflagitanti, manûq; extendit, vt Episcoporum mos est, & signo crucis ducto, absolutionem, benedictionemq; impertijt. Mira res. Eadem carmonia Præfati & crimen aboleuit, & abegit apes, quæ illico, homine relicto, ad aluearia sua redierunt. Ita in apibus diuina iustitia supplicij furanti constituit, & quid Sanctorum virtus posset, demonstratit.

XVII.  
Demonstrarunt & homines sæculi, tam exigua esse mortalium potentiam, vt etiam toti exercitus possint vel ab apibus profigari. Verum enim est, vt Ammianus Marcellinus ait, quod in distinctis necessitatibus nihil tam leue sit, quod non interdum etiam, contra sperata, rerum afferat momenta magnarum. Ita Themiscyrenses,